



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 121. Nonnullæ urbes in Picardia & Arthesia a Rege occupatæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. renuebant. Nec tamen pari successus
A.C. 1477. facilitate obtinuit Burgundiæ Comita-
 tum, qui hodie Sequanorum tractus seu
Franche-Comté appellatur, quamvis nulli
 solertiæ pepercisset, ut eundem quoque
 in suam potestatem redigeret.

§. CXXI.

*Nonnullæ urbes in Picardia & Ar-
 thesia a Rege occupatæ.*

Nec his contentus Ludovicus, quas-
 dam etiam Picardiæ, Arthesiæ &
 Flandriæ urbes, perinde ac si prædia be-
 neficiario obsequio Gallicæ Monarchiæ
 obnoxia essent, occupare molitur, missis
 in hanc rem Borbonii Notho ac Commi-
 næo. Jam antea Torcyus, qui ad Re-
 gis partes transibat, Abbavillam subegit;
 non æque tamen facilis, atque expedita
 erat Atrebatensis urbis deditio; Dux
 enim Burgundiæ hujus urbis Præfectus
 designabat Ravensteinium Clivensis Dy-
 nastæ fratrem, & Crepicordiensem Do-
 minum, qui alio nomine Cordæus, seu
 Desquerdus dicebatur. Hi Regi expo-
 nebant, Atrebatensem Comitatum clien-
 telare quidem prædium esse, ejus tamen
 conditionis, ut nonnisi ad foeminas de-
 volvi posset; illud enim a Margarita
 Flandriæ Ducissa ad Burgundicam fami-
 liam fuisse translatum; cum ergo Maria
 unice

*Commin.
 l. 5. c. 11.*

*Cleves.
 Creveccœur.
 Cordes.*

unice in Patris sui jura succederet, illam quoque solam hujus urbis hæredem esse; de cetero inducias inter Burgundiæ Ordines & Franciam sancitas nondum exspirasse, proin omnino congruere, ut huic Orphanæ saltem integrum esset, quatenus Patris sui tam iniquo funestoque tempore sibi fatis erepti mortem in pace deplorare valeat. Ambo hi Proceres cum Regiis Deputatis in Abbazia Montis S. Eligii prope Atrebatum mutuo congredebantur; verum eorum consultationes brevem admodum moram tenebant; quamvis Comminæus ibidem diutius moraretur, spe fretus, se nonnullorum Procerum animos Regi devincturum, valuitque successus; hi enim postmodum integra fide Ludovici obsequium profitebantur.

§. CXXII.

Connubium Mariæ de Burgundia cum Delphino Regi propositum.

Nihilominus Rex Turonibus profectus, Atrebatum contendit, datisque pluribus literis hujus ditionis Proceres suis consiliis accedere sollicitat. Adhuc in itinere constitutus erat, cum oppidum S. Quintini, Bunium, Peronnam, & Hamonam urbes in Franciæ obsequium rediisse, non sine ingenti lætitia intelligeret;